

IX.

ptizatis obtingat, ijs nimirum qui absoluto & omnes causas antegrediente Reprobationis decreto, non modo ad finem ultimum, videlicet condemnationem, sed & ad causas intermedias, Incredulitatem ipsam, fataliter & absolute sunt destinati: Quemadmodum per execrandam & tantum non stupendam blasphemiam Sacramentariorum manipulus scribere non exhorrescit, Beza. vol. 1. tract. Theol. pag. 417. Calvinus lib. 3. Inst. 6, 23. § 4. & cap. 21, § 7. Rennech. in aur: sal. cat. pag. 37. & 126.

19. Confessio nostra in descriptione hujus Sacramenti, Baptismum non $\omega\lambda\eta\gamma\upsilon\nu\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ sed $\mu\omicron\nu\iota\kappa\omega\varsigma$ in singulari numero effert: ac proinde unum numero eum esse firmiter statuit.

20. Evincitur hoc, non ex Sacramentariorum concessione, quæ sibi nusquam constat: sed infallibili scripturarum autoritate, quæ unum esse Baptismum disertè affirmant: Eph. 4, 5.

21. Quam Apostolicam determinationem secuta Synodus Nicena, in Symbolo suo Articulum istum sic informavit: $\acute{\omicron}\mu\omicron\lambda\omicron\gamma\omega\tilde{\nu}\ \acute{\epsilon}\nu\ \beta\acute{\alpha}\pi\tau\iota\sigma\mu\alpha\ \acute{\epsilon}\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\phi\epsilon\omicron\upsilon\nu\ \acute{\alpha}\mu\alpha\rho\tau\iota\omega\nu$: Confiteor unum Baptismum in remissionem peccatorum.

22. Vnitatem hanc non evertit assertio Iohannis, quæ se Aqua ad pœnitentiam baptizare affirmat: venturum autem, qui baptizet Spiritu Sancto & igni Matt. 3, 11.

Baptismus
Christi &
Iohannis.

Cujus